



100

1709

28^a

20

PRORECTOR
ACADEMIAE VVITTEBERGENSIS,
GOTTLIEB
VVERNSDORFIVS,
SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL.
ITEMQVE ALVMNORVM SAXON.
EPHORVS,
CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D.



I. N. J. C. R. A. M.



Vanquam negatio, aut frivola
impugnatio, cujuslibet Articuli
Fidei plurimum noceat, cer-
tum tamen est, quemadmo-
dum inter ipsos Fidei Artic-
los luculentum intercedit dis-
crimen, ita negationem Arti-
culi unius plus asferre nocementi, quam alterius,
quod si jam pluribus demonstrare vellemus, non
rerum inopia, sed tempus nos destitueret. Quare,
ut tempori inserviamus, uni tantum Articulo, qui
de carnis resurrectione agit, paucis inhærebimus.
Articulus hic creditu maximopere necessarius est.
Revelatus enim nobis proponitur, in Veteri æque
ac in Novo Testamento. Tacebimus nunc typos
vel hujus generis alia, contenti perspicuis testimo-
niis, de eodem Articulo agentibus. Inter ea emi-
nent ipsius Dei Titulus, Exod. III, 6. *Ego sum Deus A-*
brahami, Deus Isaac, Deus Jacob. Quæ verba,
quod mortuorum resurrectionem, asferant, ipse
Christus, genuinam verbi divini sententiam opti-
me cognoscens, Sadducæos, eam negantes, Act.
XXIII, 8. docuit, & resurrectionis veritatem evicit,
Matth. XXII, 31. 32. 33. Quicquid enim Jesuita Gon-
terius, & ceteri ejus asseclæ dicant, plus tamen cre-
dendum est Christo, qui veritas & vita est, quam
homi-

hominibus, qui mendaces sunt, Pſal. CXVI, 11. Huic loco ſi addimus confeſſionem Jobi, c. XIX, 25. ſeqq. & verba Danielis, cap. XII, 2. res non amplius erit ambigua, ſi præprimis egregium N. T. testimonia iis adjungantur, q̄valia ſunt Matth. XXII, 31. Luc. XX, 37. 38. Joh. IV, 28. 29. 1. Cor. XV, 12. ſeqq. Quibus, ſi quis non tam efficaciam, quam copiam Teſtimoniorum expectat, addi, ſi opus erit, plura poterunt, v. g. Rom. IV, 17. c. VII, 11. 2. Cor. I, 9. Joh. V, 21. 25. 28. 29. Joh. XI, 25. 2. Cor. IV, 14. Joh. VI, 39. 54. c. XI, 25. Apoc. I, 18. Matth. XIII, 41. 49. cap. XXIV, 31. Ezech. XXXVII, 5. ſeqq. Ebr. IX, 27. 2. Cor. V, 15. Apoc. XX, 12. &c. Mirandum ergo maximopere eſt, extiſſe homines, Deum venerantes, ejuſq̄ve verbum audientes, eoq̄; temeritatis prolapſos, ut mortuorum reſurrectionem negarent. Prolixum eorum Catalogum alibi, & alio tempore recensuimus, nec eſt, ut id denuo faciamus. Operæ pretium potius eſt, ut paucis doceamus, quod error hic capitalis ſit, potiſſimosq̄ve Fidei Articulos, quantum in eo eſt, evertat, hocq̄ve modo ſalutem hominis peſfundet. Sacra Scriptura ſolitarium cognoscendi Principium omnium Articulorum Fidei eſt, eorumq̄ve fundamentum unice ſolidum. Verum hæc ipſa evertitur ab iſtis, qui mortuorum reſurrectionem inſiciantur. Id ipſum perſpicue docet Paulus, 1. Cor. XV, 14. 15. quippe qui de ſuis, ut & Pro-

phetarum & cæterorum Apostolorum Concioni-
bus & testimoniis, quæ sunt ipsa Scriptura S. & fan-
ctissimum Dei verbum, dicit, quod vana sint, si
nulla detur mortuorum resurrectio. Et profecto,
qui hanc negat, is etiam veritatem negat eorum
Scripturæ locorum, qui paulo ante ad demonstnan-
dam eandem adducta sunt, atque ita verbum Dei
pessundat. Neque præterea parcat ei Fidei Arti-
culo, qui de Deo agit. Is enim docet nos, quod
Deo Veritas, Bonitas, Justitia, Omnipotentia, & re-
liqua Attributa ita sint propria, ut iis negatis, ipse
quoque Deus negandus sit, quia ipse & ejus Attri-
buta τὸ εἶναι καὶ αὐτὸ sunt. Negat autem is, qui
mortuorum resurrectionem non credit, Dei Ve-
ritatem, utpote, qui in verbo suo eandem nobis
revelavit & confirmavit, quæ si non re ipsa sequi-
tur, Deus non invenietur verus. Idem quoque
evertit Dei Bonitatem. Quod si enim non datur
mortuorum resurrectio, neque pii resurgent. Hi
vero si non resurgent, frustra tot miserias in hoc
mundo tolerarunt; frustra bonitatem Dei in ver-
bo toties & tam certo promissam, sperarunt; &
e contrario impii in hac vita feliciores fuerunt pi-
is, & horum fides & pietas tanti non aestimatur à
Deo, quanti istorum incredulitas & malicia, quæ
singula fortiter Divinam Bonitatem impugnant.
Tollunt etiam e medio Dei Justiciam, qui resurre-
ctio-

tionem mortuorum impugnant. Hac enim iuste agit, impios æternum puniendo, id quod fieri non potest, si non datur aut conceditur eorum ex mortuis resurrectio. Dives epulo Luc. XVI, 19. 23. non puniebatur hic, sed illic. Quin imo cum reliquis Dei Attributis ejus quoque omnipotentia evertitur. Isti enim, qui negant resurrectionem, id ideo faciunt, quia sibi persuadere nequeunt, eam Deo possibilem esse. Et quid dicemus de eo Articulo, qui Christum nobis proponit? An hic factus rectusque relinquitur? Minime vero. Qui enim in Christum sincere credit, is quoque ejus verbis credit, Joh. XI, 25. *Ego sum resurrectio & vita, qui in me credit, is vivet.* Qui vero vivet, is necessario resurget. Et recte vereque Paulus 1. Cor. XV, 16. *Quod si mortui non resurgunt, nec Christus resurrexit.* Et quomodo, obsecro, Christus credentibus dabit vitam æternam, si homines non resurgent, quoniam nemo in æternum vivet, si mortuus est, nisi per resurrectionem vitam receperit. Quomodo vera erunt verba Christi Joh. X, 28. *Ego ovibus meis do vitam æternam*, si oves mortuæ non resurgent? Quomodo implebit Salvator verba sua Matt. XXV, 41. *Abite maledicti in ignem æternum*, si isti non resurgunt? Ex medio etiam tollitur Articulus de Spiritu Sancto. Hic enim est *Spiritus Veritatis*, a quo totius Scripturæ Sacræ veritas promanavit. 2. Pet. I, 21. Jam vero si

Scripturæ de veritate resurrectionis loquenti & testanti non creditur, nec ipsi Spiritui Sancto creditur. Si ipsi non creditur, non erit Deus, imo planon erit. Patet inde, totum SS. Trinitatis mysterium ab iis negari, qui mortuorum resurrectionem negant. Atque ex his facile potest conjici, quod nec reliqui Fidei Articuli salvi ab iis permaneant, qui resurrectionem negant. Eversa enim salutari de Deo & ejus Verbo doctrina, impossibile est, unum ex reliquis Fidei Articulis salvum & integrum posse persistere. Credimus, homini restituendam esse imaginem divinam, quam per lapsum amisit, quamque per fidem in hac vita recipere satagit. At vero, si non datur resurrectio, fides illa & spes inanis & vacua erit. Credimus peccatorum, quæ homini in hac vita perpetuo adherent, Ebr. XII, 1. in illa vita abolitionem, quæ certe frustra creditur, si vita æterna ex parte hominis non dabitur. Dari autem non potest, si homo non resurgit, & vitam, per mortem amissam, recipit. Credimus, salutarem Dei & Salvatoris nostri agnitionem esse vitam æternam. Joh. XVII, 3. Hoc est, fidem in Christum certum esse medium ex hominis parte ad vitam æternam consequendam. At vero si non datur resurrectio, nec dabitur vita æterna; neque fides in Christum aliquid valebit. Sic argumentatur Paulus I. Cor. XV, 17. Et quid dicemus de die extremo, de judicio extremo, de
cælo,

cælo, de inferno & aliis. Hæc certe omnia erunt
vana & inania, si mortuorum resurrectio vana est.
Agite igitur, Charissimi, vitemus absurdum hunc er-
rorem, & credamus sincere, certam & indubitam,
esse mortuorum resurrectionem, certam quoque esse
vitam æternam, quâ omnes vere credentes certissi-
me resurgentes in cælis sunt fruituri. Et ut hoc cre-
damus, monet non solum, sed & certos nos reddit.
Redemptoris nostri resurrectio, quam hac festivitate
docemus, credimus & confitemur. O utinam ea men-
te & lingua, quam Deus a nobis expectat! Falluntur,
certe, qui aut errant in fidei doctrina, aut in eadem
nimium cespitant, si persuadent sibi, se Christo pla-
citurus. Rejicit certe omnes, qui fide sincera non
sunt præditi. Et quanquam resurrecturi sint, non ta-
men ad vitam, sed ad mortem æternam & intolera-
bilem resurgent. Falluntur etiam, qui quidem & Chri-
sti & mortuorum resurrectionem credunt, in cæte-
ris tamen Fidei Articulis non sunt sinceri. Sunt e-
nim illi instar catenæ, multis invicem annulis conne-
xæ, in qua si vel unica rumpitur, catena non est am-
plius integra, non ligat, non ornat, sed ut res inutilis
jacet. Demus igitur operam, ut & sinceri & integri
simus in fide, nulla ejus parte corrupta, aut penitus
avulsâ. Nec vitæ tamen, aut pietatis inculpatæ obli-
scamur. Qui enim ut impius vivit, quomodo ut pius
resurget? *Arbor sive decidat ad Meridiem, sive ad Aequi-
lone[m], quo loco deciderit, ibi jacebit.* Cohel. XI, 3. Quod si
igitur resurgere cupitis ad vitam æternam, in vera &
insucata pietate ut deprehendami in hac vita, ope-
ram date. Ea mens Christi, ea Pauli est, scribentis
Rom. VI, 3. & 5. *An ignoratis, nos quotquot baptizati su-
mus in Christum Jesum, in mortem ejus esse baptizatos. Con-
sepulti*

sepulci igitur sumus ei per baptismum in mortem, ut sicue
suscitatus est Christus ex mortuis in gloriam Patris, ita & nos
nova vita ambulemus. Nam si cum eo plantati coaluimus as-
similatione mortis ejus, nimirum etiam NB. resurrectionis
assimilatione cum eo coalescamus. Recordemini eorum, qui
olim baptizari se volebant super mortuis. I. Cor. XV, 29.
Faciebant certe, illud, ut resurrectionis mortuorum es-
sent memores, seseque ita pararent, ut digni inveni-
rentur, sive morituri, sive resurrecturi, qui Christo pla-
cerent. Id igitur agamus, O Nostri, ut & in fide &
vita simus inculpati. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis
nova massa.* I. Cor. V, 7. *Deponite, quod ad pristinam con-
versationem attinet, veterem illum hominem, qui de sedu-
cti. ihu cupiditatibus sese corrumpit. Renovati potius sitis spi-
ritu mentis vestre. Et induite novum illum hominem, qui
secundum Deum conditus est ad justitiam & veram sancti-
moniam.* Ephes. IV, 22. seqq. Legite, quæso vos, reli-
qua, quæ ibidem sequuntur, legite, intelligite, expri-
mite. Facietis illud, si & ipsi vos domi verbum Dei
studiose pieque legeritis, & ædem publicam frequen-
tes visitabitis, precibus & hymnis Deum celebrabitis,
& præsertim, quæ ex verbo Dei ministri ejus dicturi
sunt, quotidie audietis, & in succum & sanguinem
convertetis. Certum hujus rei signum erit, si nos ad
aram sequemini, ibique Christo, Servatori vestro,
munuscula offeretis. Id fecerunt Antecessores no-
stri & vestri. Id faciemus etiam nos, ne illis dissimi-
les inveniamur. Faxit Deus, per Jesum a mortuis re-
surgentem, ut credentes vivamus, credentes mori-
amur, & credentes resurgamus, & tandem omnes &
singuli credentes in gaudia æterna ingrediamur!


P.P. in Fer. Paschal. A.E.C. MDCCIX.


VVITTENBERGAE,
Typis CHRISTIANI SCHROEDTERI, Acad. Typ.

ULB Halle
005 361 788

3







1704 28^a 20

100

PRORECTOR
ACADEMIAE VVITTEBERGENSIS,
GOTTLIEB
VVERNSDORFIVS,
SS. THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL.
ITEMQVE ALVMNORVM SAXON.
EPHORVS,
CIVIBVS ACADEMICIS
S. P. D.